

memoria sancti Thomæ apostoli celebretur. Item 9, in honorem Jacobi Alphæi apostoli. Item 10, in honorem Lucæ apostoli et evangeliste. Item 15 *novembris*, quod tum memoria patris Chrysostomi celebretur. Item 14, quod tum Philippus apostolus festiviter honoretur. Item 16, quod tum Mattheus evangelista et apostolus honoretur. Item 21, quod tum Dei genitricis in templum introitus celebretur. Item trigesimus, quod tum Andreas apostolus festiviter honoretur. Item nonus *decembris*: quippe quia tunc genitricis Dei nostri conceptio celebretur. Item vigesimus, usque ad ipsum sextum *Januarii*, utpote quod diebus iis natalitia et baptismus domini et Dei et Servatoris nostri Jesu Christi celebretur. Item ejusdem Januarii duodevigesimus, divinorum patrum et doctorum Athanasii et Cyrilli gratia. Item ejusdem mensis vigesimus quintus, propter memoriam magni patris Gregorii theologi. Item 2 *februarii*, quod tum Servatori obviam itum sit. Item 3 celebrandæ memoriæ Simeonis Dei susceptoris causa. Item vigesimus quintus *Martii*, boni nuntii ergo ad Dei genitricem delati. Item dies paschales ab ipsa Lazari resurrectione, usque ad ipsum post sarum Pascha octavum. Item 15 *aprilis*, in honorem apostoli et evangelistæ Marci. Item trigesimus, in honorem fratris theologi et evangelistæ, Jacobi apostoli. Item 8 *Maii*, ob memoriam evangelistæ, Joannis theologi. Item 10, propter memoriam Simonis Zelotæ apostoli. Item 21, propter memoriam sanctorum ac apostolis æqualium, magnorum imperatorum Constantini et Helenæ. Item 26, propter memoriam apostoli Alphæi Judæ. Item 14 *Junii*, in honorem Bartholomæi apostoli. Item undevigesimus in honorem apostoli Judæ, qui et Thaddæus et Lebæus et Jacobus nominatur. Item vigesimusquartus, propter præcursoris natalitium. Item undetrigesimus propter principum apostolorum Petri et Pauli, celebrationem. Item trigesimus propter duodecim apostolorum celebrationem. Item vigesimusquintus *Julii*, propter sanctæ Annæ matris Dei genitricis, obdormitionem. Item 6 *Augusti*, propter Servatoris nostri Jesu Christi transformationem. Item nonus propter memoriam S. Matthei apostoli. Item decimusquintus, propter gloriosam sanctæ Dei genitricis emigrationem. Item vigesimus, propter memoriam S. Thaddæi apostoli. Item vigesimusquartus, propter Bartholomæi apostoli memoriam. Item undetrigesimus, propter venerabilis præcursoris decollationem. Hicse omnino feriatis diebus connumerabuntur medietates quadragesimalis jejunii, et Pentecostæ: tum etiam Servatoris assumptio, et omnes totius anni domini dies: ut in illis omnis in iudicium aditus præcludatur, ac nemo iudicium iudiciale quiddam faciat. Sane vero qui ex parte iudicium sistunt, neque toti (uti antea diximus) feriati erunt, hi sunt. Mensis *septembris* sextus, quoniam tunc in Chonis summi ducis Michaelis miraculum prodigiose peragitur. Item 25 *octobris*, quoniam memoriam fratris Dei, Jacobi celebramus. Item vigesimussextus, quia magnum illum martyrem et unguento scaturientem festiviter veneramus, Demetrium. Item 1 *novembris* quod miraculosi illi anargyri, Cosmas et Damianus, festive colantur. Item 8, quod conventus defunctorum celebretur. Item duodevigesimus, quod S. Stephanus martyr junior celebretur. Item 4 *decembris*, in honorem egregie martyris Barbaræ. Item 6, in honorem miraculis celebris unguentoque scaturientis Nicolai. Item 10 *Januarii*, in honorem divini Gregorii Nysseni. Item 16, propter adorationem venerabilium principis apostolorum Petri vinculorum. Item 19, propter recuperationem venerabilis defuncti Gregorii theologi. Item 27, propter recuperationem venerandarum reliquiarum Chrysostomi. Item 7 *februarii*, in honorem magnifici martyris, ducis exercitus Theodori. Item 17, in honorem præmiis decorati Theodori tyronis. Item nonus *Martii*, nempe quod tum sanctorum quadraginta Christi martyrum memoria celebretur. Item vigesimustertius *aprilis*, quippe quia tum magnificus martyr Georgius honoretur. Item secundus *Maii*, in honorem magni Athanasii. Item octavus *Junii*, in honorem magnifici martyris Theodori, exercitus ducis. Item nonus, in honorem sancti patris nostri Cyrilli Alexandrini. Item vigesimuseptimus, in honorem sancti et miraculosi Sampsonis. Item primus *Julii*, quia tum sanctorum et miraculorum anargyræ illorum memoriam colimus. Item 2, quia depositionem pretiosæ vestis Dei genitricis recolimus. Item 8, quia magnificum martyrem Procopium festiviter honoramus. Item 11, quia eximiam martyrem Euphemiam concelebramus. Item 20, quia prophetam Heliam honoramus. Item 27, quoniam præmiis decoratum, et miraculosum Pantelemonem festive colimus. Item 31 *Augusti*, propter pretiosi cinguli immaculatæ Dei genitricis depositionem. Atque hi quidem dies sunt qui quodammodo feriati, et quodammodo non feriati sunt. Quibus vero diebus propter nativitatem, aut creationem principis feriamur, hos imperatoria mea majestas inter non feriatis collocat: præsentem sanctionem a se inchoans, et per ea quæ ipsametactura est, reliquos docens. Non perinde enim præsentis constitutionis sermo quantumvis in illum attentis, atque imperatoriæ majestatis mea actio persuadeat. Mea atque imperatoria majestas quibus diebus, tum in hanc vitam producta,

tum divina providentia in imp. designata est, ne feriati sint, neque ulas inducias in illis iudicia habeant, sancit. Sane præter supra descriptos anni dies omnes fasti erunt, et in illis iudicia iudicialibus sententis consensantæ executiones exercebuntur. Persuasum autem habemus, Deo etiam hanc imperatoriæ meæ majestatis sanctionem fore gratam. Cum enim Phariseos exereretur dominus, neglectum ab ipsis misericordiæ iudicium ante omnia caussatus est.

3. *De synodica subnotatione patriarche Lucæ de nuptiis septimi gradus cognationis.*

Facta autem etiam postea jussio potentis et sancti imper. nostri et domini, emissa mense Majo ejusdem indictionis, quæ hæc in ejus parte decernit. Nostra itaque imperatoria sublimitas hoc synodale de quæstio responsum, vel, ut vere dicam, decretum consequenter divinis canonibus legibusque civilibus editum, in posterum observandum, et perpetuo immobile, ac immutabile futurum iudicavit, eandem de proposita questione habens sententiam, quam sanctis. D. et universalis patriarcha, et sancta ac divina synodus.

4. *De decisione Sisinnii de nuptiis duorum fratrum cum duabus consobrinis.*

Cum hæc ita se habeant, et de eiusmodi contractu exorta esset controversia, emissa est Novella constitutio potentis et sancti nostri imper. et domini mense Junio, indictione octava, quæ hæc in fine persequitur. Itaque ut utraque rectè serventur et colantur imperialium et sacerdotium jussionum majestas legumque et canonum subtilitas, nec decisio omnino solvenda est, nec rursus permittendum, ut omnino exerceatur. Sed media quadam et regia, ut aiunt, via est incedendum: et utrumque est conservandum, nempe, et reverentia quæ debetur antistiti, qui illam decisionem conscripsit: et imperatoribus, qui illius decisionis meminerunt: et videndum ne quid quod a legibus canonibusque discrepet, sineadatur, quod hæc induxit decisio. Oportet enim contractum ea decisione introductum jam quidem etiam ante interrogationem perfectum non dissolvi, sed eos qui sic matrimonio juncti sunt, penis impositis graviari, iudicio et examinatione illius loci antistitis, et conservari conjugium. Quod si prius sciscitatum accesserint, non concedere sine convenientibus penis et mandatis propter eam, quæ superius dicta est, reverentiam: nec libere ac secure, nullaque ad eos retardandos allata causa sciscitantibus permittere, sed cum mandato, vel ipsos potius ab ecclesia, dictæ decisionis, et eorum quæ in illa decernuntur, commemorationem accipere. Etsi decretum quidem honorare volentes, quæ etiam in eo comprehensa sunt, velint inconcussa manere, sunt omnino laudandi: si autem quod ab eo velint est, velint agere, hoc eis facere permittetur, convenientibus tamen eis prius penis impositis.

5. *De nuptiis cum duabus sobrinis.*

Quia autem aliquando ad imperatoris tribunal agitatum est, an posset unus et idem duas sobrinas in matrimonio habere: utpote cum contractus ad 7 affinitatis gradum deducatur, edita est imperatoris D. Emanuelis Comneni jussio, quæ statuit hoc non posse fieri: quoniam maritus censeatur unius esse gradus cum uxore: et quod contractus ad sextum affinitatis gradum deveniat.

6. *De sententiis iudicium.*

His sic definitis, quæsiert quispiam, cum præsens canon definiat in omnibus causis plurimum sententiam vincere: Novella autem constitutio potentis et sancti nostri domini et imperatoris D. Emanuelis Comneni mense Julio 14, indict. anno 6674, promulgata, constituat cum aliis, et hæc nominatim. Si omnes non sunt ejusdem sententiæ, sed aliqui dissentiant, si qui dissentiant, numero sunt æquales, eorum præferetur sententia, quibus is qui iudicio præest, consenserit: utrum sequi debeamus?

7. *Ne morientium episcoporum diripiantur bona ab exactoribus.*

Præterea tene memoria constitutionem septembri mense, 14 indictione emissam, imperatoris domini Emanuelis Comneni, de non rapiendis ab exactoribus bonis, quæ ad defunctos episcopos pertinuerunt, quæ quidem hæc complectitur. Res quæ et in Dei contemptum, et ad legum naturæ infirmationem, ab iis qui, ut aiunt, neque Dei vocem, neque hominum vindictam formidant, ut est verisimile, patrat, non ferenda omnino meo imperio visa est, cum ad ejus aures pervenisset. Quamobrem eam ut omnino christiana professione indignam, meum corrigi imperium. Et enim relatum est, in excessu et vita eorum qui ubivis pontificatum gerant in sanctissimis Dei ecclesiis partim quidem antequam funus efferatur, partim vero postquam elatum fuerit, eos qui in ea regione fisci

procuratum exercent, ipsorum mortis prætextu eorum cellas inhumane invadere, et immobilia quæ sunt sub ecclesiis quæ eis obtigerant, et omnes quidem facultates quæ in illis inventæ fuerint, auferre: universam autem ejusmodi immobilium exactionem facere, et ea alioqui omnino contere. Imperium ergo meum ne vel auditu quidem ferendam eorum esse audaciam existimans, ne cum damnum et calamitas ex antistitum morte ad eorum ecclesias pervaserit, hi multo majorem calamitatem inveniant, et ea sint quam jam habent molestia longe molestiores: statuit per hanc præsentem constitutionem, ne ab iis qui ducales magistratus gerunt, vel descriptiones, vel aliqua alia publici juris exercent, tale quid in sanctissimas ecclesias, vel earum immobilia, vel antistitum cellas, in eorum morte deinceps amplius innovetur: sed si testati quidem moriantur antistites, eorum voluntate et ordinatione omnia fiant, quod ad ea attinet, quæ in eorum cellis inveniuntur. Quod si forte etiam testati decesserint, omnia quoque fiant, ut sacris canonibus et legibus videtur. Atqui in viduarum ecclesiarum immobilia ne pedem quidem omnino immittet aliquis ex ducibus, vel aliquibus aliis, ut dictum est: sed nec quælibet illinc pars quomodocunque apprehendatur, sed omnia a partibus ejusmodi ecclesiarum in ipsis administrabuntur, quemadmodum de ea legitime et canonice edictum est: donec se, qui post mortuos antistites in ecclesias renunciati sunt, in regione fuerint, et eorum administrationem apprehenderint: debente seire eo qui ad infirmationem alioquorum eorum, quæ a presenti imperii mei constitutione decreta sunt, processerit, quod etiamsi Deus in tali ejus tamque audaci incepto in præsentia siluerit, omnino in futurum dignum ejus supplicium reservans: imperium tamen meum eum acerbius in præsentia aggrediatur, penis cum corporibus subiciens et suorum membrorum truncationibus honorumque publicationi, et diuturno exilio. Non solum enim ex eo simplum reddet ecclesiæ, quod ei illo modo ab ipso auferendum est, sed etiam a fisco talis quantitas in duplum absque ulla commiseratione exigetur, periculisimam de ea re cognitionem ab antistite illius temporis data mystico, qui debet etiam utraque administrare: de suo autem peccato omnino excusationem non habebit. Venit enim meum imperium, et eis per præsentem constitutionem evangelice locutum est, quæ in sacro chartophylacio, seu tabulario reponeretur, sanctissimis ecclesiis operi letura, etiamsi ejus exemplaria sola competentem fide munita ab ipsis partibus insinuentur, ea enim archetypa vim habebunt, et exhibentibus aderunt ad æternam securitatem.

8. *De homicidiis voluntariis.*

Quia autem de voluntariis homicidiis mense aprili, indict. 14, a potentissimo et sancto imperatore nostro domino Emanuele Comneno Novella edita est, eam manda memorie, quæ sic habet, post proœmium sic tractans. Jubet ergo omnibus qui sunt in regionibus iudicibus et militatibus quæ sunt in eis copiis, et earum ducibus, ubi fuerit cædes voluntaria, et tale quidpiam ausus fuerit aliquis, ut omnes statim excitentur ad apprehendendum homicidam, et eum vincunt mittant ad imperatoriam circumspectionem: vel, si ea absit, ad magnæ urbis quæ a Deo custoditur præfectum, ut ipse in carcerem publicum introducatur, et tam in corpore, quam in bonis secundum legum et Novell. constit. potestatem puniatur, et alia supplicia subeat. Scientibus his omnibus, si probatum fuerit, potuisse quem piam homicidam apprehendere, et non fecerit, eum non secus condemnandum quam si imperio insidiatus fuerit: sin autem latuerit fortasse quispiam, et ad sanctissimam Dei magnam ecclesiam confugerit, postquam penæ ecclesiasticæ adversus eum processerint, ex legali observatione, præsentem quidem in regia urbe eo qui imperium obtinet, ab eo mittetur in provinciam quam censuerit, ut totum vite suæ tempus illic transigat, nec illinc effugiat, ut recurat in eum locum in quo facinus execrandum admisit. Absente autem forte imperatore, a præfecto, ut dictum est, in aliquam remotiorem regionem exterminabitur, et illic vite suæ tempus peraget. Sin autem non solum voluntarie, sed etiam præmeditato captoque consilio eadem perpetraverit, non cogetur ex prædicta regia constitutione tonderi. Si enim eum qui sua sponte ad tonsuram accedit, non eo ipso statim admittit canonica sublimitas, sed ei sufficiente tempore attributo, et per ipsum mente ejus, firma sit an inestabilis examinata, siquidem hominem invenerit in eo quod primum habuit propositum perseverantem, et monastico habitu, et corporis mortificatione se impigre præparantem, boni quoque operis ei affert contentum, eo in monasticam institutionem statumque suscepto: quomodo non fuerit a ratione alienum, et a legibus spiritualibus dissidens, aliquem necessario tondere, eumque homicidam, quem Deus eo usque reliquit ut etiam manus fratero sanguine pollueret? Timendum est etenim, ne invitum vitam angelicam ingressus, eaque vi suscepta venerando habitu in ludibrium utatur. Homines enim leviores cum in dementia incidunt,

pessimas et perversissimas actiones suapte natura aggreduuntur. Loco ergo tonsuræ statuit mea imperialis majestas, ut qui voluntariam eadem capto consilio perpetraverit, in custodia toto vite suæ tempore degat, et nec illinc quidem educatur jussu forte imperatorio per oblivionem exhibitio. De eorum autem facultatibus fiat, sicut jussit imperator memoratus. Quia autem plures homicidæ qui eadem meditato et consilio capto perpetraverint, ad sanctissimam Dei ecclesiam postea accedentes, non ut facta est a se, sed ut ad suam facit utilitatem, eadem contentur, jubet mea imperialis sublimitas, ut a sanctissimo hujus temporis patriarcha ad regionis antistitem, et qui ei subest clerum, quinque ad provinciam iudicem cum pena scribat, et quemadmodum factam esse eadem ex illius rescripto intellexerit, ita eam quoque persequatur: non eum qui capto consilio eadem facit propter falsam suam confessionem, ad easdem penas, et eadem supplicia admittat, ad quæ qui fortuito et improviso in tale aliquod crimen incidit. Si quis autem homicidæ, qui ad sanctissimam magnam ecclesiam confugerat, et vel perpetuo exilio condemnatus, vel in vinculis esse, vel in perpetua esse custodia toto vite suæ tempore jussus erat, solutus, inventus fuerit in loco ubi eadem perpetravit ambulare, vincutus ab exactore qui est in provincia, ad meam imperialem sublimitatem mittetur: et quæcumque quidem res tunc ei inventæ fuerint, exactori in lucrum cedent, et ei qui homicidam indicavit, ex æquo divisæ. Omnino autem curæ erit iis, qui sunt in sanctissima magna ecclesia illorum iudicibus, ut cum conveniente canonica severitate crimina eadem puniant, et tempora non temere contrahant, nec plusquam par sit in iis quæ non decet, se lenes et clementes præsentem. Imperialis autem meæ constitutionis exempla, ab iis qui præsentis iudicis descripta, missa ad ecclesias quæ sunt in provincia, ibi reponentur, ut eorum quæ sunt constituta omnes scientiam habeant, et faciant quemadmodum eis comprehenditur. Quod si is qui capto consilio eadem fecit tonsuram sua sponte elegerit, non absque probatione inter monachos cooprabitur: sed sufficienti tempore accuratissime et diligentissime ex canonicis constitutionibus examinatus, et probatus, in monasterio, vel invitus toto vite tempore manere cogetur, nec ei unquam exire permittetur: Monasterium autem erit omnino in alia provincia, et non in ea terra quæ mortui sanguinem dehiscens male suscepit.

9. *Ut ecclesiarum et monasteriorum quæ sunt ad urbem, immobilia intacta sint a manu fisci.*

Potenti ergo et sancto nostro imperatori gratiæ agendæ sunt, qui apostolico canoni consequenter et presentis constitutioni ecclesiarum et monasteriorum quæ sunt ad urbem, intacta et integra immobilia conservavit a manu fisci, seu publici, per tres aureas bullas suæ imperialis majestatis: quarum altera quidem Julio mense, 9 indictione, 6654 anno facta est, et constituit non ledi monasteria, eo quod jura quæ illis forte adsunt claudicant: et secunda, quæ mense octobri, 6 indictione, 6668 anno emissa est, et jubet monasteria indivulsa et inseparabiliter habere immobilia, etiamsi eis allegationes a census descriptore date sunt, quæ pro jure fisci faciunt. Hic autem sites non sunt, quod non perpetua cautio et utilitas monasteriis ex iis suppeditetur, sed temporalis. Alia vero quæ mense Martio, 6 indictione, 6666 anno edita est, et in omnibus secretis posita quæ post proœmium hoc expresse edicit imperialis mea sublimitas aliquot abhinc annis auream bullam emittere dispensareque prævenit, iisque quæ in hac urbi regina sita sunt, monasteriis, et iis quæ sunt in occidentali parte Steni, quantum est in littore et longius: similiter et iis quæ sunt in sinu Nicomediæ, et usque ad ipsam Nicomediæ, et iis quæ sunt in insulis, Oxæa, Prima, Chalce, Plate, S. Glyceria, Principio, Antigonis, Tragonis, Terebintho, S. Andreae, S. Tryphoni, S. Liberio, Codonæ, Pelago, Coinsula dimidio, Mediciæ, et sancto Demetrio, et iis quæ sunt in possessionibus portuum, et usque ad complexum Athyræ: et (ut semel dicam) iis qui circum circa reginam civitatum exercentur monachis, viris et mulieribus iis multa jura largita est, et in immobilium detentione, ac dominatione, quæ quibusdam juribus ad eos pertinent, firmam et inconcussam possessionem concessit: quemadmodum aurea bulla hæc fusus persequitur. Sed quoniam cavillatores quiescere non poterunt, sed fisci, seu publici prætextu eis gravium afflictionem intulerunt: imperialis mea majestas Deum placare et proptium efficere volens: ob ea quæ ipsum ut homo offendit: simul etiam volens, magni imperatoris, Christi scilicet, milites qui vitam monasticam propter ipsum elegerunt, et spiritus armorum induerunt, socios habere, et strenuos defensores adversus hostes, tam qui videntur, quam qui non videntur, bono illi fundamentum tectum quoque proportionem conveniens imponere voluit: et præsentem auream bullam ea ex causa edidit, per quam statuit et definit, omnia immobilia quæ hodie ab enumeratis monasteriis possidentur, vel etiam silentiaris et anachoreticis cellulis, vel

lauris, et omnino monasticis habitaculis, quocunque nomine vocentur, parccias, prædia, conventus, tributa, vectigalia, portus, flumina, jura maritima, et ut semel dicam, quocunque jus in possessione immobilium consideratur, et in quocunque loco situm sit, in quo scilicet hucusque non data est iis denotatio, seu designatio ab iis qui sunt in ea regione census descriptoribus quæ publicum in iis jus habere comprobat, habere dictas mansiones perpetuo dominio ut imperii mei donum et liberalitatem, et eis deinceps semper in posterum dominari, etiamsi probabilis, vel non probabilis de causa aliqua eorum, vel etiam fortasse omnia hucusque detinuerunt: vel etiam sine ullo titulo, vel ex titulo, quidem qui male se habet, vel est fortasse falso confictus. Omnia enim quæ ab ipsis in quocunque situ possidentur in oriente et occidente, sive ex iis qui eo tempore administrabant imperatoribus sive sint ex fragmentis, sive ex commiserationibus, sive e loco motis vel caducis, vel ex vilibus quæ penduntur diariis, vel ex vilibus calamitate vexatis, vel iis quæ a potentibus vendita sunt, vel contra: vel ex correctione male factarum venditionum, et si in aliis locis jussa dari, in aliis tradita sunt, vel donata, non tradita sunt: vel tradita, donata non sunt, vel quovis alio modo male ab ipsis detinentur inconcusse et nullo negotio eis exhibitio, a dictis monasteriis vult meum imperium ea in æternum possideri, ut meum mei imperii donum a mea liberalitate et munificentia profectum. Cum enim sola nunc apud ipsos immobilium inveniatur detentio, quæ pro omni titulo debet eis sufficere, est supervacaneum, de ulla aliis curiose investigare. In omnibus enim quæ hodie possident, præterquam in iis in quibus a publico census in ea regione descriptoribus documento data sunt, quæ jus fieri, seu publici, ut dictum est, probant, debet præsens aurea imperii mei bulla sufficere, et pro donatione, et pro emptione, et quovis alio modo satis esse: etiamsi quocunque alio modo secretum in eis probetur. Nec cogentur monasteria, ob ea quæ nunc possident immobilia, antiqua alia quæ eis adsunt jura proferre. Sed hæc præsentis aureæ bullæ scriptura pro omni jure utentes, ea contenti esse debent, ut quæ eis, ut prius scriptum est, sufficere debeat, et pro donatione et pro traditione, et quovis alio jure. Sin autem invitante fortasse tempore voluerit ullum monasterium iis etiam quæ habet juribus et titulis uti, eo pro se afferens, a nullo penitus prohibebitur; hoc enim non facit necessario. Si autem hoc propria voluntate elegerit, nemo impediturus admittetur. Non solum autem ad probandum jus terreni quod habent monasteriis sufficere præsentis bulla aurea: sed etiam in parccias quæ nunc ab eis detinentur, et prædiis, vectigalibus, conventibus, tractionibus solutionibus, portibus, fluviis, juribus maritimis, et quocunque alio jure, quod ab eis possidentur, præterquam in iis, in quibus documenta pro publico (ut sæpe superius dictum est) assumpta sunt. Sin autem recenseri jussa sunt, vel amputari quædam tributa, vel pacta, vel militiæ, vel publica, vel libellica, vel aliquid aliud quod ad publicum pertinet, et non factum est quod recensendum erat, vel habet aliquid aliud jus quod apprehendi possit, monasteria ex eo nihil lædentur. Quid autem opus est multa dicere et enumerare, et exempli gratia afferre? Verborum multitudinem imperii mei majestas prætercurrens, ne quis in ejusmodi rebus callidus, et vester nonnullis quidem dictis, ex iis causis quæ immobilia concutiunt, aliis vero silentio præteritis, verba arripiat, et more Judaico, literæ insistat, et conetur in iis quæ dicta non sunt, monasteria agitare et vexare, universali et generali oratione, imperium meum vult et decernit, ut quod in iis quæ hodie a monasteriis possidentur, vel in ipsis sunt monasteriorum cathedris, pro publico cogitatum fuerit ab aliquo, vel nunc, vel quocunque, monasterio datum esse reputetur. Et simul ac hoc cogitavit quipiam vel dixerit, id quoque statim apprehendet monasterium, ut hodie a mea imperatoria sublimitate donatum. Quod enim ad ea attinet quæ nunc possident immobilia, de quibus pro publico documenta non acceperunt monasteria, imperium meum vult unumquodque eorum publicum existimari, et perpetuam firmitatem obtinere, et a nullo de ea re disceptari, et quemadmodum publico nulla a se molestia negotiumve exhibetur, sic nec silentaria, nec monasteria, nec reliqua ab ullo publici curatore litibus agitabuntur, sive quis probabilem sive non probabilem causam afferat, sive cujusmodicunque sit quod loquetur. Quisquis enim hoc facere aggressus fuerit, invalida et revera infirma dicere videbitur: et citra ullam misericordiam, ejus facultates fisco consecrabuntur, et ipse omnino infamis semper erit: utpote qui imperatori adversetur, qui pie, ac religiose omnem molestam vexationem a monasteriis in iis quæ ipsis data sunt, per præsentem auream bullam amoveat, et per ipsam exiguum aliquid donum offerat pro innumerabilibus beneficiis quæ a munifica ejus dextra accepit. Non licebit ergo, nec publici census descriptori, nec ullius secreti præfecto, vel pæraquatori, vel in rebus agenti, vel alii personæ quæ publicum tractet, monasteriorum immobilia describere, vel focos censere, et terræ mensuras investigare, vel parcciorum

quantitatem, vel quod terræ amplius possidetur, vel non justo pretio emptum est, vel injuste detinetur, examinare. Sed quoniam imperii mei mandato acta facienda sunt, eorum nomine quæ hodie a monasteriis detinentur immobilium, et parcciorum, tunc demum juste monasterium molestia afficietur, et quod injuste detinet, ab eo auferetur, quando publici census descriptor ostenderit monasterium extra terminum occupare loca, vel parccos, vel jus aliud. Nec enim licentiam habebunt monasteria augere et amplificare ea quæ ab ipsis hodie possidentur, sive parccii sint, sive loci, sive ἀρούρηια. Verumtamen per hujusmodi occasionem non licebit exactori, aut descriptori ulli fumarium, vel mensorium, aut aliud quodpiam vectigal quod ad ipsius officium pertineat recipere ab immobilibus quæ suprascriptis subjacent monasteriis. Qui enim contra ausus fuerit, sciat se non tantum id quod exegit multiplicatum restitutum, sed et omnium bonorum publicationi cum infamia et civili munium incapacitate subjectum iri. Sic enim vult mea majestas jam manifestarum monasteriorum immobilia omnia haberi ab unoquoque exactore, quasi non subsint ipsius officio, vel potestate. Et quemadmodum exactores in non sibi subjectis provinciis nihil juris habent, ut in iis agant administrantve quicquam: sic nec in immobilibus monasteriorum exactores provinciarum, quibus ea subsunt, censentur exactores. Quæ igitur fuerint acta, et descriptiones ab iis quos imperium meum statuerit ad probationem eorum quæ a monasteriis possidentur, competentibus secretis propter notitiam insinuabuntur. Scire namque debent omnia monasteria, si quod eis deprehensum fuerit, astutiam aliquam, vel collusionem, vel dolam fecisse in immobilibus quæ hodie ab ipsis possidentur, non solum nihil utilitatis ex hac mea majestatis aurea bulla consequuturum, sed etiam casurum jure concessio prædictis monasteriis per præcedentem mei imperii auream bullam. Deinde autem sustulit hæc aurea bulla omnem quoque jussionem quæ ei adversatur, quæ scilicet facta est, vel fiet: et statuit ut monasteria suis quoque antiquis titulis utantur.

10. De immobilibus magnæ ecclesiæ.

Et illi quidem antiquo et celebri Solomonis sapientiæ templo pro viribus offerant omnes: et huic quoque sacro et maximo templo, quod est sub nomine Dei sapientiæ, qui ex Solomone et David secundum humanitatem derivatur, gloriose et regaliter extracto, cujus erat illud Solomonis præfiguratio, novæ inquam Sion, arcæ sanctificationis, servatoris nostri ecclesiæ, (quam super apostolicorum mandatorum petram adeo stabilem et immobilem Spiritus sanctus edificavit) multi diversa munera obtulerunt, quæ in immobilibus possessionibus spectantur, ad orientem et occidentem sita: sed nonnulla in insulis (sunt autem eorum quæ dixi, per redemptionem multa, ne dicam plurima) publico ea applicare decreverunt ex diversis causis: et qui sunt ubique publici census descriptoribus et in ejusmodi rebus exercitatis. Quoniam autem hoc ad mei imperii aures frequenter delatum est relatione eorum qui hoc magnum et divinum templum dispensant, statim nostra potentia nihil cunctata hæc præsentem bullam huic venerabili domicilio elargita est, per quam ei pure donat et concedit nostra pietas omnia quæ ad fiscum, seu publicum quomodocunque pertinent, ex iis quæ sunt in oriente et occidente, et ab eis in omnibus insulis possidentur, immobilium possessionibus tanquam ejus donum alioquod et sacram oblationem, sive sint parccii, sive terra fortasse arabilis, vel pratensis, vel consita vitibus, vel hortensis, vel cujusmodicunque prædia sive in eorum domibus agent famuli negotiatores, vel artifices, etsi castra in aliquibus eorum extracta sint, vel aliquid aliud, quod ad publicum utique pertinet, inventum fuerit. Corrigit autem meum imperium per præsentem auream bullam quæcunque claudicare inveniuntur in iis quæ dictæ magnæ Dei ecclesiæ adsunt viribus, ac titulis in omnibus ejusmodi immobilibus quæcunque ea fuerint, et omnia quæ illis adsunt in oriente et occidente, et in omnibus insulis, ut nunc a meo imperio data, et ei concessa reputentur per præsentem bullam auream nostræ serenitatis. Ob eam enim causam et exactas procedere descriptiones, quæ declarent cujusque generis immobilia, et qui eis præsentem incolas ac inquilinos: hoc amplius inventa in iis omnis generis ἀρούρηια a locorum descriptoribus, eorumque subscriptionibus confirmari et in perpetuum securitatem parti sanctissimæ magnæ ecclesiæ tradi jubet nostra majestas: ut omnia sint manifesta et extra controversiam posita, nec ullo tempore in disquisitionem revocentur a descriptorum quoquam vel inspectorum, vel pæraquatorum et eorum qui aliter publica perscrutantur declarationum descriptionum competentibus secretis, in futuram rei memoriam insinuandarum. Neque enim unquam eorum qui poterit ullo modo ingredi hujusmodi immobilia, aut ea in controversiam deducere et disquisitionem. Sed nec instrumenta in iis requirere, non fumarium, vel metreticicon exigere, aut aliud ullum vectigal excogitatum in descriptorum lucrum: qui prohibentur insinuatione ipsa et sola præ-

sentis aureæ bullæ mei imperii, et descriptorum, quæ ut supra comprehensum est, valitura sunt. Omnis autem facta jussio, sive de prius separatis, sive de fragmentis, sive de commiserationibus, sive de iis quæ ab humilibus ordinibus, sive de iis qui incisionibus subjecta, sive de militiis affectatis licet compensatio facta non sit, sive de non acquiescendo factis sine quantitate donationibus, sive de quacunque re edita fuerit jussio, et ulla in re repugnet præsentis imperii mei bullæ aureæ, irrita erit et invalida, et si ne irrita fiat in ea expressum sit, nisi nominatim pronuntiatum sit. Omnium enim jussionum quæ factæ sunt, notitiam habet mea pietas, quæ sigillatim enumerare supervacuum existimavit; et ut expressim enumeratas et eversas quod ad hæc aureæ bullæ orationem attinet, censeri constituit mea majestas. Sed nec alia ulla quæ in posterum fiet jussio huic scripturæ prævalebit: quinimo et illa, quatenus præsentis meæ majestatis definitioni adversatur, irrita fiet, nullarumque virium: licet, ne subvertatur apposita sit clausula. Nisi nominatim pronuntiatum sit, aut quævis alia distinctio. Ut autem sint, manifesta quæ adsunt sanctissimæ Dei magnæ ecclesiæ immobilia omnia in præsentis bulla aurea aperte inscripta sunt: quæ habent hoc modo: in Thracia et Macedonia illa et illa, et deinceps enumerat omnia immobilia. Et post horum enumerationem ait, Judei strobiliotæ ubique inveniunt, et excussi amplior capacitate triginta millium. Sancit imperialis mea potestas sanctissimam magnam ecclesiam et omnem ejus partem habere jus suum inviolatum omnino et inconcussum, cum exactores fieri debebant terminorum definitiones a locorum descriptoribus, ut sæpe dictum est. Verum eo prætextu non licebit prædictis descriptoribus fumarium exigere, vel metreticon, aut necessariorum dationem, ullamve exactio-nem facere a quibuscunque immobilibus ejus. Sed absque ulla collatione et petitione prædictas finium descriptiones facient. Quod si quis ausus fuerit violare quidquam eorum quæ præsentis aureæ bullæ oratione majestatis meæ definiuntur, præter imperialem indignationem, in periculum veniet subeundi penam triginta librarum, quæ sine commiseratione a domesticorum secreto, ex additione sanctissimæ magnæ ecclesiæ exigentur: quippe cum firma ac munita sit præsens aureæ bullæ oratio, facta mense Augusto, 4 indict., anno 6661, cui nostrum pietate præcelsus subscripsit imperium.

11. De instrumentis omnium quæ ubique sunt ecclesiarum ob possessionem immobilium.

Præterea autem emissa est et alia bulla aurea imperatoris quæ dicitur medicatrix, utpote quæ fortasse medeat titulis et juribus omnium ecclesiarum quæ claudicant, episcopatum scilicet et metropolium, et ipsius magnæ ecclesiæ, quæ etiam ad verbum sic habet: qui post Moysen fuit electus illius populi imperator Jesus, Hierichuntis festinamenta, ac propugnacula diruere, sacerdotibus jussit in circuitu tuba canere et sic murorum propugnacula mirabiliter dejecit. Imperio autem meo, quod novo populo a Deo electo præest, post illum principem populi servatorem et ducem alium Moysen inclutum, dico imperii mei dominum et genitorem, veluti quædam Hierichuntina mensia, diruere properanti communis Christianorum inimici propugnacula, occidentalis dico draconis, qui in Sicilia tyrannidem exercet, et illinc adversus Romanum imperium latenter prorepat veluti spiritalibus quibusdam tubis, vestris antistitum Deum nobis quotidie placantium precibus, ad illum diruendum adjuvantibus opus est. Sed et ipse divinus Moyses, quando cum Amalech prælium commisit sacerdotibus utrinque innixus, sic eum fugavit, et vicit. Sicut ille ergo, meum quoque imperium, antistitum sustentaculo indigens, ad aciem adversus novum hunc Amalech propositam, et veluti quandam lucis columnam novum hunc Israel præcedentem, et ejus gressus dirigentem, preces eorum habere volens: hæc præsentem auream bullam, et omnium ecclesiarum matri, novæ Sion, Dei sapientiæ habitaculo, et iis qui sunt in omnibus insulis et in oriente et occidente antistitibus donavit: eorum pro imperio meo preces magis confirmans. Recte enim scit meum imperium regem non servari per multam potentiam, et gigantem non servatum iri in multitudine virtutis suæ: mendax autem equus ad salutem, ut dicam cum propheta et psalmographo et Deipatre. Volens enim ut firmitas et stabilitas ecclesiæ quæ omnibus præest, servetur, et omnibus dictis antistitibus sanctarum quæ ubique sunt ecclesiarum, et securitatem titularum ac jurium quæ illis adsunt, in ipsorum immobilium detentione firmius constituens, et præterea corrigens si quid in eorum juribus claudicaret, et mere jure sit destitutum. Et non solum hoc, sed et si quod jus consequi debeant ad ejusmodi immobilium dominationem, detentionem, et proprietatem, id fortasse prius factum non est, hæc imperii mei bullam auream ejus quod deest medicatricem illis tradidit, quæ veluti perfectum et integrum et omnino inconcussum jus ejus ostendit. Per quam confirmat quidem et tutius facit quodcumque jus

adest sanctis ecclesiis, eique quæ illis præsidet, in ipsarum immobilibus cujusmodicunque fuerint, et ubique ea sita sint: et quod bonum est, melius fecit imperii mei sententia et calculo. Quicquid autem est in eis in quibuscunque quis spectatum id dixerit, sive in aureis bullis diversorum imperatorum, sive in sigillis, et sive in simplicibus jussionibus, sive in resolutionibus, sive in actis, claudicans, et aliquatenus, ab eo quod est exactum, et a debita consequentia deficiens regalum jussionum et legum corrigit et decernit, dictis sanctissimis ecclesiis nullam ex ea re præjudicium in æternum afferri: sed quod in eis est infirmum et imbecillum, esse firmissimum et nulla juris allegatione oppugnandum ab eo qui veli aliquid pro fisco, seu publico dicere, ut quod præsentis imperii mei bulla aurea confirmetur et valde corroboretur. Et ut ex multis eorum quæ cupiam in mentem venire possint, pauca quædam imperium meum memoria repetat: si forte donatio ipsius parcciorum sit sine certa quantitate, aut mensurarum terræ, vel auturgia alia innovant in hujusmodi possessionibus forte quæ ipsis donate non fuerunt: aut donate quidem fuerunt, jussiones autem de his factæ, non sunt revocate: vel in prius designatis donatis ipsis jussiones de prius definitis non sunt revocate: aut jussionum principalium quæ ipsis tribuæ sunt aliqua nullo modo insinuatæ fuerunt, aut fuerunt quidem insinuatæ in aliquo secreto, non tamen competente: aut insinuatæ perierunt, exempla autem earum fide digna reperiantur: aut acta quæ procedere debebant, non processerunt, vel quæ processerunt, non sunt insinuatæ, aut quæ fieri deberunt rationum computationes, factæ non sunt, aut forte quamlibet aliam ob causam sive ex parte sive in totum jura sæpe dictis sanctis Dei ecclesiis et matri omnium claudicant, et inde firmitatem suam non habent, etsi non quæ id faciat causa nominatim expressa sit, aut forte alia ipsis exhiberi deberunt jura de hujusmodi immobilibus veluti quibusdam omnino procedentibus in ipsis (nam si documentum de quopiam ex possessis sive immobilibus nequaquam adquisierint nihil a præsentis aureæ bullæ oratione juvantur) nulla in re hæc omnia et quæcunque alia cupiam pro fisco certanti in mentem quandoque venerint, lædere unquam sanctissimas ecclesias et Sophiæ Dei templum, reliquasque metropoles, archiepiscopos, episcopos, poterunt in iis immobilibus quæ (ut dictum est) ad ipsas pertinent, ex quibuscunque documentis. Nam si nullum quæsierint unquam jus in aliquibus forte immobilium quæ habent, nullam ex præsentis aureæ bullæ oratione sententiam utilitatem: sicut nec in quibus fiscus, ad hodiernum usque diem possessionem habuit ex justa quopiam causa, in his enim omnibus juris observabit exacta disciplina. Si quis igitur voluerit per avaritiam, aut quampiam aliam causam, ea contemnere quæ hæc chrysobulla mei imperii oratione definita sunt: primum quidem sanctæ Trinitatis splendorem, cum ad tremendum sistemur tribunal, non conspiciet: excidet autem et Christianorum parte ut Judas duodenario. Et præter hæc exerationem sibi conciliabit primogenitorum sanctorum, justorum et deferorum patrum qui ab ævo præmortui fuerunt.

12. De citatione absentium.

Ac in iis quidem consistit canon. Tu autem scias, terminum qui hic præstituitur, hodie locum non habere, et per tria xxx dierum edicta omnes actores, et reos accersiri, cujuscunque sint status, et cujusmodicunque causa sit: secundum Novellam potentis et sancti D. nostri et imp. mense Julio editam indict. 14, anno 6674. Sed hoc quidem servatur, quando per libellum et reliquam judicalem consequentiam pecuniaria vel criminalis causa adversus episcopum illata fuerit. Si autem per ordinem adversus episcopum vel clericum aliqua ecclesiastica questio denunciata fuerit, quando nec libello opus est, vel aliqua alia judiciali consequentia: et qui accusatur, seu defertor, non adest: punietur secundum lxxiv canonem apostolicum, sicut condemnatur seu punitur etiam a legibus contumax impudens.

13. De tonsura mulierum degere volentium in monasterio, post trimestre facta.

Non est lex scripta quæ statuatur, ut si qua tonderi atque divortium facere cum marito veli, ne confestim tondeatur, sed in monasterium abducatur, et trimestri spatio exploretur, num forte in ipso veluti pugnae initio tonsuram deprecetur. Sed ex inscripta consuetudine, sæpe in iudicio probata et confirmata, receptum est, ne aliter mulier tonsura permittatur, quam si post tres menses interrogata sit, an in hoc bono proposito permanere veli. Ac sane hæc de re coram imperatorio tribunali satis certatum est. Cum enim multi dicerent, debere Pyrrrogorgii illius uxorem confestim detonderi, quod firmi iudicii esset, ut quæ etiam quadraginta annos haberet: ac vero nulla lex scripta de trimestri isto ageret: a Deo coronatus optimus et sanctus noster imperator longam consuetudinem, ut dictum est, confirmatam, pro scripta lege suscepit: atque subnotatione confirmavit.